...s Casimirus

...rum Princeps

Doenhoff Joan. Frid. Ara triplex spei publ...

ARA TRIPLEX
SPEI PVBLICÆ,
AVGVSTÆ, SACRÆ,
FORTVNATÆ.

IN ADVENTV

SERENISSIMI
PRINCIPIS POLONIARVM SIGISMVNDI CASIMIRI.

SERENISSIMORVM, VLADISLAI IV
& CÆCILIÆ RENATÆ REGVM POLONIÆ, PRIMOGENITI.

Ab Alma Academia & Vniversitate Vilnensi SOC: IESV erecta.

Eidemq; Serenissimo Principi.

Per

JOANNEM FRIDERICUM DOENHOFF in eadem Academia Logices Auditorem dedicata.

ANNO DOMINI M. DC. XLIII.

VILNÆ.

Typis Academicis Societatis IESV.

AD

SERENISSIMVM SIGISMVNDVM CASIMIRVM POLONIÆ PRINCIPEM, SVECIÆ, GOTTIÆ, VANDALIÆ HÆREDEM.

SPes Orbis loquimur, cùm de Te loquimur, Princeps Serenissime Ea nimirum magnitudo Fortunæ, honor dignitatis, fœcunditas virtutis, in Tuo flore prorumpentis est, ut spes, quibus nihil vastius; animos, quibus nihil capacius, expleas universorum. Magnorum hæc gloria Principum, & Tua: quia Tu quoq; Magnus, cùm tantus. Intelliges itaq; quæ diximus, etsi non legeris; cùm nihil in nostro contineatur stylo, quod in Tuo spectandum non exhibeatur animo, & indole. Gaudent libri tam felici compleri materiâ, grandesq; calami labori secuturo commodantur.

Tu, Princeps Serenissime, primum hunc Academiæ Te venerantis cultum, ad manus & ani-

mum admitte, & devoto tuis laudibus ſtudiorum meorum labori, vultu quo Lechicum orbem ſereras, aſpira. Neq; enim, hunc tantum litterarum luſum, tuæ ampliſsimæ dignitati conſecraturus venio: verùm promptitudinem, venerationem, animum, ac me totum Tuis Sereniſsimis obſequiis, ea qua par eſt demiſsione, hodie devoveo, ea, qua debeo, conſtantia, æternùm conſecro.

ARA

ARA SPEI AVGVSTÆ.

INSCRIPTIO.

Gloria parentum, Hæreditas filiorum.

THESIS.

TAntum equidem est naturæ in sui propagatione studium, ac tam fœlix in successu ingenium, ut parensne rerum fæcundior, an artifex mirabilior sit asserenda, constare non possit. Illa nimirum, tot non annis, at seculis, domum hanc magnam orbis, innumera rerum varietate ita complet; ut una in omnibus, omnia conservet, multa distinguat, singula ad suæ originis deducat similitudinem. Experiri scilicet videtur, an immortalis esse possit? & quasi posset, mortalitatis damna successione restaurat, imò mortalitatem ipsam immortalem facit: cùm in alijs præcipitem, in alijs excitat. Constans est, & perennis in orbe mutatio, ac mundus ipse vix mundus est; certè mundus alter quàm fuit, est: inter tot nihilominus iniurias, sensus damni ad mortales non pervenit, quia hæc, provida commodorum nostrorum parens, quicquid humana fata rapuerint, protinus substituit. Agite mortales! tam benefico muneri, gratas preces, gratiasq; litate. Iniqvum est non agnoscere beneficium, agnitum autem grato animi cultu non prosequi, criminosum. Quotquot Vrbes, Respublicæ, provinciæ, regna, imperia vigent: naturæ restauratici orbis & humani generis obligantur. Quantùm verò tu debes Polonia, cùm Serenissimum Princi-

pem

pem Sigismundum, Auguſtiſſimam Sereniſſimorum Vladislai IV. & Cæciliæ Renatæ Poloniæ Regum, ſobolem, tuis maximis commodis inſtaurandis augendisq; creſcentem vides? Quantùm Vilna? cùm felicitatem hanc regni maximam, non jam à longè contemplaris, ſed eius contactu, aſpectum oblectas, & ſuaviſſima perfrueris dulcedine. An quæ audita, triumphalia in te gaudia toties concitarunt, ex conceſſa eorum præſentia, in applauſus & lætitiam non effunderis? Languidius ad animum accedunt, quæ aurium via manant, quàm quæ oculis hauriuntur. Gratulare igitur tuæ, gratulare Reipublicæ fælicitati, pubeſcentia publica commoda: atq; ut quantúm gratulari debeas, ſcias; quantùm ſperare debeas, intellige. Accede igitur inprimis, ad hanc ARAM SPEI AVGVSTAE, ac non vana ſpei tuæ auguria, ex orbis conſentientis autoritate cognoſce. Et ego quidem, vix animum Academiæ voce in tuas laudes Princeps Sereniſſime prorumpentem, continerem: ſed ut maiori apparatu triumphum fælicitatis tuæ agam, proceres ex omni antiquitate advocavi, qui Te ad ſpes noſtras deducerent. Præfero ijs Numinis Opt. Max: de te edictum.

a. *In filiis ſuis agnoſcetur Vir.* Nimirum, quorum vita vivimus, eorum virtutes, in moribus, tanquam in tabella imaginem pingimus: ut in lineamentis filiorum, vultus emineat Parentum.

b. *Scilicet eſt olim vis rerum in ſemine certa,*
Et referunt animos ſingula quæq; patrum.

Filius imago Patris eſt. Hinc eloquentiſſimus Conſtantini Magni Orator, de filijs coram Parente loquens: c. *Iam, inquit, etiam ductæ lineæ, quibus virtutum tuarum effigies poſſet includi.* Namq; d. *Rapitur ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæque natura.* &, ut roſæ, non colorem tantummodo, ſed etiam virtutem à Parentibus trahunt: ut fructus, non vigorem tantùm, verùm ſaporem quoq; ab arbore ſumit: ut aquæ, ferreis, argenteis, aureis fontibus conformantur, ita. e. *Omnis natura artificioſa eſt, & habet quaſi vim quandam ac ſectam, quam ſequatur.*

f. *Non poteris rectum cancris inducere greſſum.* Inquit Poëta.

Tales omnes ſumus, quales ij, per quos ſumus. Applaudet igitur,

a. *Eccl. 11.* b. *Marullus.* c. *Nazarius.* d. *Idem.*
e. *Cicero 2. de natura Deorum.* f. *Ariſtophanes*

tur, quicunq; rem perspexerit illi, qui posteaquam à Iurisperitis audivisset, Filium, *Personam, Vocem, Corpus*, quoq; appellari *Patris* Verè & eruditè g. *Animum esse Patris* asseruit. Congruè his Comicus: *Persuade tibi Parentes esse Deos.* Quid ita? An quia coniuncta cum Deo manu h. *Animam nobis, decerptam ex mente divina, & cum nulla alia re, nisi cum Deo comparandam* dederunt? At quicquid hic operis intervenit, maius homine, & solius Dei est.

i. *An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?*
In cœlumq; redire animas cœlisq; venire?

A cœlis igitur & Deo *Animam*, à Parentibus autem *Animum* habemus, scilicet vim illam & virtutem, qua ad rerum studia impellimur, easq; complectimur oblatas. Sic, cùm à Deo *Animam*, à Parentibus vero *Animum* nati acceperint, *Parentes Deos esse* quosdam, persuadere sibi debent, quorum ipsi quoq; *Animus* sint. Procul hinc ignavæ animæ, vilis turba, mancipia popularia. Exempla à vobis non derivabo, verùm digito tantum ostendam, sequaces parentum nepotes, per terram tota vita serpere, nec unquam, aut nimis raro, humo assurgere. Magna hic solúm dicenda, imò summa, quia maxima auguror. Itaq; k. *Credere debemus, magnos Natales tribuere maiores ad virtutes impetus, & in familiis Heroicis vim naturæ præstantiorem esse. Habet enim nobilitas sanguinis & generis, adiunctam plerumq; nobilitatem mentis, estq; magnus ad virtutem stimulus maiorum virtus, ne quis ab ea degeneret.* Sensit idem diligentissimus naturæ scrutator, l. & ab antiquitatis laude sæculorumq; encomijs nobilissimus, qui magnæ fælicitati regis cuiusdam Spartani tribuit, quòd illi mater fuerat, quæ Regis erat filia & uxor: quod nimirum sanguis à tam nobili descendens origine, quantò plus nobilitatis, tantò plus virtutis quoq; veheret.

APODOSIS ORATORIA.

Metire igitur jam anime vires tuas, & num studio tuo respondere, magis autem materiæ dignitatem æquare sermone poteris, delibera? Vt enim de Sigismundo Principe dignè loquaris, de Vladislao

g. *Cœlius Rhodig. lib* 11. *Bal. titulo* 3. *de Iur. Per.* h. *Cicero.* i. *Marullus.* k. *Francis:* l. *Plinius in Natur.*

Regum maximo prius dicendum eſt, ac tanti Regis & parentis magnitudine, omina publica, de cariſſima eius ſobole ſuſcepta, explenda. Audiviſti Regis tui nomen, venerare Maieſtatem, & proſtratâ ad pedes eloquentiâ, ueniam ſermoni exora. Hic eſt enim Rex ille, in cuius laudibus, non hominis, ſed orbis; nec orbis tantum Sarmatici, at univerſi deſudavit eloquens eruditio: extortaq; vox & confeſſio omnium oratorum, plus Vladislaum egiſſe, quàm illi aut dicere, aut excogitare valerent. Et verò, ſi ex meritorum dignitate laudari deberet, non verbis, ſed factis, oratio conſtaret: neq; ſcriberetur, ſed fieret. Nam ſi in præterita temporum ſpatia cogitationes reijciam, occurrent protinus animo; ingentia bellorum transactorum monumenta, (ô quam difficile verba rebus reſpondent! dicendum nimirum erat, prodigia,) devicti exercitus, occupatæ provinciæ, triumphati hoſtes potentiſſimi, orbis deniq;, quia eius victores, ante Vladislaum proſtratus. Coegiſſe ad pacem petendam Suecum, vidiſſe ſupplicem Turcam, duxiſſe ante currum ſub lauro Moſcoviam, vix unquam maximis bellatoribus contigit. Hæc verò, quæ in aliorum factis, tam inuſitata, tam ſingularia, tam admirabilia viderentur: ſi quis in regis noſtri encomijs enumeret, vulgaria declamare cenſetur. Non derogo quicquam Imperatoris tui virtutibus ô Nazari! Verum ſi id tibi fata conceſſiſſent, reperires nunc in Polonia, ante quem, cum omnium applauſu & ſummo veritatis præconio proclamares. *In tuis laudibus id maximum non eſt, quod in orbe terrarum primarium eſt.* Quid amplius dicam aut quibus aſſurgam verbis? Succedant orationis inopiæ vota, & quandoquidem gloriæ tuæ amplitudinem Rex Sereniſſime, tota eloquentiæ capacitas complecti non poteſt, eâ quàm fortunatiſſimè ac diutiſſimè perfruere, ipſe tibi par, & tuis laudibus ſufficiens. Tibi nimirum hanc divinitatis prærogativam conceſſam agnoſcimus, ſe ipſo frui poſſe, & apud ſe invenire, quod orbis non habet. Itane verò, loqui neſcio, tacere non potero? Exitus hic ſermonis de te deſtinabatur Rex Invictiſſime, verùm magnarum rerum, etiam compendia magna eſſe debent. Non audeo itaq; maximo humeros ponderi ſubijcere, & infinita à te bello geſta non recenſeo: at rapit me dulce nomen pacis, & fructus ipſe

suavissimus, quo Respublica universa, tua virtute, tuoq; beneficio abundè est donata. Pax,

Pax una Triumphis
Innumeris potior.

Bella multi gerunt, pauci pacem merentur, cùm tamen omnium bellorum finis, pax publica sanciatur. Atq; si præsentium rerum statum, principum molitiones, orbis negotia expenderimus, quo nomine congruentiore orbem appellabimus? quàm si illum, ingens bellorum & inexhaustum dixerimus seminarium. Prô! quantùm inter hæc tempora, quæ Poloniam pace gratissimâ oblectant, sanguinis fusum, quanta funera deplorata, quanta urbium & provinciarum ruina transacta. Famosum nomen Cannæ perdiderunt, cùm in bellum orbis tractus, non jam camporum, sed suis spatijs, exercitus capere vix potest. Ingemuimus super Germaniam sanguine inundantem, doluimus Hispaniam, tam exterorum, quàm civilium tumultuum mole gravatam, vidimus Galliam, perditis clarissimis ducibus exercitibusq;, justitium parantem. Quid Martis sedem Belgium, suis notissimum cladibus memorem? quid Lusitaniam armis indutam? Italiam furore bellico ardentem; Orientem deniq; ac Occidentem facibus armorum ac animorum succensum? Hoc solum propè deerat, ut Superi, & Poloni, bellis certarent. Dolendum, eheu dolendum! tantum sanguinis effusum Europei, quantum si in barbaros avertissemus, naufragium latrocinijs Asiaticis, procul dubio intulisset. Nescio quis infelix Cadmus, ferrea semina per terras dispersit, ea inquam semina, ut ex ipsis cædibus ac mortibus, ferrei viri enascantur. Nec vicisse sufficit ad victoriam, nec victum esse ad belli exitum. Supplet virium defectum furor, virorum contumacia, armorum improba non tam regnandi, quàm regna perdendi cupido. Audis hæc ô carissima patria, an etiam spectas? an verò ad aures tuas, tantus armorum fremitus, tam miserabilis orbis cadentis ploratus, tam infelix præcipitatorum in ruinam regnorum, cum occasu tumultus, non pervenit? Tu ergo illud es fortunatissimum, verèq; beatissimum Regnum, quòd tanta pericula Vladislao auspice, Vladislao parente, Vladislao fortunæ tuæ præside non sentis? te ergo mundi

damna non tangunt? in tuo cœlo, nulla prodigia exercituum, nulla ſpectacula præliorum, nulla fulmina divinarum humanarumq; irarum verſantur? Aut extra orbem, aut ſupra orbem conſiſtis, atq; ſi non cœlum, pars quædam cœli altior dici, mereris. Quicquid tamen es, Vladislao debes. Neq; quisquam verbo ſuccenſeat, quandoquidem doctiſſimorum virorum ſententiæ, Reſpublicas cœlos quosdam eſſe, ex ingenij & veterum monumentis docuerunt: Reges autem & Principes, tanquam numina quædam illis præeſſe, ad verſanda & circumagenda imperia: aut tanquam ſoles in ijs reſidere; ad ea illuſtranda, quæ infra regale ſolium jacent. Cœli ſunt Reſpublicæ: verum illæ, quæ turbine bellico aguntur, quaſſantur motibus, vexantur tempeſtatibus, cœli quidam inferiores ſunt: Polonia verò, longæ pacis, & Vladislai Regis beneficio, intacta, placida, ſerena, cœlum quoddam ſolare eſt, cæteris eminentius: nec quidem illis omnibus, Regni maieſtate, ſed regnantis fælicitate. Verè ſol in cœlo, Vladislaus in ſolio, omnia illuſtrat, omnia recreat, omnia fæcundat. Procul hinc periculoſæ perfidiæ noctes, cœlum hoc plenum ſole eſt: procul ignium fatalium furor, cœlum hoc tumultuoſam ſiderum ſedem tranſcendit.

Quàm turpiter Maieſtati Imperatoriæ Nero Cæſar illuſit, cùm hac gloriæ affectatione, ſine meritis raptaretur. Cùm enim pedes, quibus cœlum conſcenderet non haberet, manus fabri, pro pedibus ſibi ſubſtituit, & in arte factis, ideoq; fictis cœlis, locum quem illi faber, tanquam maximus Deorum aſſignaverat, occupavit. Quis intueri potuit illud portentum naturæ & Romæ, ac riſum ſuſtinere? aut quis te Vladislae Rex invictiſſime, noſtro cœlo præſidentem cogitare, & animi ſatis ad ſtuporem invenire? Nam tu quidem, cœlos ambitiosè non affectas, ſed mereris gloriosè: & cúm illud ſupernum ſummumq;, tibi à cœlitibus paratur: tu quoq; in terris cœlos facis, cúm imperium tuæ poteſtati ſubiectum, ad cœleſtium orbium imitationem, tranquilla gubernatione conformas. Nunc itaq; demum exclamare licet. O beatam Polonæ Reipublicæ ſortem! ô fortunatos felicitatis noſtræ progreſſus! Quantùm enim ex hac tam ingenti Vladislai Regis gloria, de tua virtute,

magni-

magnitudine, felicitate, promittere in posterum ausim Poloniæ, Sigismunde Princeps Serenissime. Magnus es ô Princeps, & jam inde magnus es, cùm adhuc parvus ætate sis. Tua enim quoq; sunt hæc decora quæ numeravi, tuæ laudes quas dixi, tua dignitas quam suspexi. Successisti in opulentissimam hæreditatem gloriæ ac virtutis, ad quam te Serenissimus Parens admisit, ut plus in cunis dignitatis reperires, quàm multi principes, omni laborum suorum ac vitæ decursu meruerunt. Quis non credat, si tales Dij essent, quales olim crediti, Martem ipsum incunabula tua ambiturum fuisse, quæ tot galeis victricibus, tot scutis, tot laureis, tot trophæis undiq; cingebantur? quis dubitet, Iovem quoq;, si Rex Deorum illorum, in quibus nihil non humanum erat, censeri voluisset, tibi substratam purpuram, desideraturum fuisse? in qua tam ingens triumphorum cumulus, encomiorum acervus, gloriæ dos, & thesaurus involuebatur. O quis Superum aspectibus nostris hanc beatitudinem concessisset! ut cum creator ac opifex animorum Deus, Iagiellonios illos Spiritus, ac maxime Vladislai Regis & Parentis maximi, sinu tuo includebat, spectare liceret. At quod oculis non est datum, animo eripi non potuit. Intuemur & veneramur transfusam in te maiorum tuorum magnimitatem, fortitudinem, anhelum ad sublimia spiritum, & quidquid deniq; tot sæcula in Iagiellonibus suspexerunt, quicquid in Vladislao Rege Parente tuo, præsens ætas laudat, subsequens mirabitur. Et hæc ego cum loquor, non tantùm omnia quæ de te dicenda occurrunt non recenseo, verùm magna parte, spei nostra auspicia non attingo. An enim inter hæc revocavi, sceptra, Diademata, aquilas, imperia Austriaca? quæ tibi nascenti, glorioso adstiterunt famulitio, cum Serenissimæ Reginæ nostræ, Cæciliæ Renatæ Austriacæ, magnæ Imperatorum filiæ, Sorori, nepti adessent. Sine me, Ferdinande Secunde, olim terris nunc cœlis Augustissime Imperator, sine obsecro aliquid non de te; humanas enim laudes excessisti, sed coram te proloqui. Quis tuus tum sensus, quæ apud superos pro carissimo nepote vota fuere, ut tantus ac talis nasceretur, quanti ac quales, Iagiellones & Austriaci imperassent, imperarentq;: Quoniam verò ille eras, cum inter nos versareris, ut nihil à cœlis posceres,

quod

quod non acciperes, quis universa decora virtutum oratione percenseat? quæ dulcissimo infanti è sinu numinis contulisti. Vitam accipere, humanum erat: ad sceptra, ad honores, ad thronos, ad regimen Populorum, salutem gentium, tutamen orbis parem nasci, hoc Principem Iagiellonium & Austriacum, hoc Ferdinandi Secundi Imperatoris, & Sigismundi Serenissimi Poloniæ Regis, nepotem; hoc Vladislai IV. & Cæciliæ Renatæ Serenissimorum Poloniæ Regum filium, decebat. Non igitur minor animo, summis dignitatibus lucem primam aspexit, sed ipsam diei illius claritatem fulgore natalium illustravit: accendit ignibus mitrarum sidera, æmulatus est splendore paterno lumen solis, & quod summum pondus habet, ea sequentis vitæ præsidia, eaq; virtutis munimenta secum attulit: quæ omnis ætatis ac posteritatis commodis sufficerent. Illi in mundum miseri prodeant, ac à Thracibus deplorentur, qui nudi, inermes, omni præsidio derivatæ in se virtutis destituti, prodeunt: cum tuo Serenissime Princeps Natali, animi hominum, spes ac fortuna est renata, ut in Serenissima Cæcilia Renata semel renati, te nascente iterum nasceremur. Iam nunc de suo Philippus Macedo gaudeat leone, jam fulmen suum Olympias minetur, jam solem exorientem Roma suspiciat: nos in te non Leonis, sed Vladislai Iagiellonis & Rudolphi primi fortitudinem; non fulminis, sed Vladislai Varmensis, Alberti primi Austriaci, ac Caroli Quinti vim; non solis, sed Casimiri Principis Sancti cœlestes, Casimiri Magni, Alberti Secundi Austriaci, aliorumq; Regum ac Imperatorum humanos, ut auguramur, ita spectabimus honores. Hos ego, nunc quoq; in tuo Serenissimo aduentu præsentes suspicio, hos veneror, his applaudo.

QVid pigras trahimus moras?
Quin plausus resonos damus?
Venit nobilior dies,
Et lux nobilior die,
Fulgens Principis igne.
Heu Musæ, Cytharam peto!
Sed doctam cytharam date.
Ipsæ stamina tendite,

Et sint

Et sint aurea stamina,
Nostræ congrua laudi.
Grandis materies modos,
Vulgaris superat Lyræ:
Nil! o nil, popularibus
Dicendum leue barbitis
Hoc in munere laudis.
Magna est gloria Principum,
Hæc est gloria Principum:
Maior gloria Cæsarum,
Hæc est gloria Cæsarum:
Vno pectore clausa.
Princeps sit tener, est tamen
Princeps non Puer: aut puer
Si dici patitur, puer
Princeps Regius est. viro
Sic maior puer omni.
O fons sanguinis aurei!
Virtutis Pater inclitæ.
Quam magnum decus aduehis,
Alta vectus origine
Claro fulmine laudum.
Non puluis vitiat leuis,
Puri gurgitis alueum:
At fundus micat aureus,
Et littus pretiosius
Gemmarum ardet in auro.
Hoc fulgor diadematum
Exultat radiantium,
Hoc solo nitet, omnium
Orbis gloria Principum, &
Summi, frontis honores.
O quæ sæcula Principi
Laudum se comites volunt!

Et quæ sæcula Principis
Laudum materiem ferent.
Tant pondere preßam?
Aude Vilna. Perennibus
Portas cingito laureis,
Magni Littalidûm Duces
Intrant mænia, quos tuus
Princeps restituit tibi.
O Regum facies graves!
O pompam superis parem!
Hinc Jagiellonidum nitor,
Atq; hinc Austriadum decus
Sese ostentat in ostro.
Vnus tot revehit Duces,
Vnus tot revehit dies:
Vnus tot superet Duces,
Vnus tot superet dies,
Ævo, ac laudibus Hoßpes.

ARA SPEI SACRÆ.

Inscriptio.

EX NOMINE OMEN.

THESIS.

Cùm à rebus ad nomina accedo, à serijs ad ludicra progredi, cuipiam fortaßis videbor. At cogitet ille velim, nihil in auspicijs Principis nostri ludicrum, nihil leve, nihil deniq; mediocre reperiri. Vulgaris conditionis exiguitas, æstimationem hanc rerum patitur: virtus autem illa, quæ plus quàm ab hominibus, nam ab ijs qui supra homines eminebant, in pectus descendit: & fortuna illa, quæ fastigia altißima olim occupavit, sortem atq; judicia populi effugit. Quicquid igitur de Principe nostro cogitaverimus,

mus, magnum esse debet, ac plurimis spei auxilijs firmatum. Ita, Principis Nomen, Omen publicæ fælicitatis est, atq; hic quoq;, Spes & Res. Et quanquam, sufficeret meæ mihi materiæ, ad beata seculorum præsagia ab hac ara depromenda fælicitas, non tamen invito Apolline oracula pandam, donec ille, omina ex nomine rectè sumi assentiatur.

Ecce verò offert se sub uno nomine exercitus integer, (diceres unum hominem) unus tamen sanguis, una gens. e. Fabiorum. En purpuratam cohortem! Senatores in sago, Duces sub militaribus signis, Principes urbis Romanæ, non pecuniæ, sed amoris in patriam & immortalitatis stipendiarios! Hi, uno animo eoq; maximo, bellum patriæ in se averterunt, meruerunt q; pro illa in acie cæsi, ut, quando Fabiorum domus, urbis munimentum extitit, Roma, Fabijs pro monimento esset. Reservavit autem natura sibi unicum Fabium, in quem spiritus occisorum transfudit: ut deinceps, tres continui senatus Principes, dignitatem maiorum, pari virtute, eodem nomine referrent.

Nonnè pariter, duo Bruti libertatem Romanam asseruerunt, cùm tres Horatij, imperium occisis in acie Curiatijs meruissent? Nonnè Horatius Cocles, unus exercitum Porsennæ sustinuit, ut decora urbis à maioribus parta conservaret? Nonnè idem nomen, Decemuiris Rempublicam imperio gravi prementibus oppositum? cum Horatius item f. *Illos decem Tarquinios appellavit, admonuitq;,* cum Valerio Publicolæ Nepote, *Horatijs & Valerijs ducibus, Reges esse pulsos.*

Pulcherrimũ igitur censeo, g. *Probo* deinde ad imperatoriã dignitatem evecto, à Valentiniano datũ elogium, quod *Vir* esset *sui nominis* & Clotario, à Gregorio Turonensi. h. quod *sui nominis executor.* Diserte etiam, Theodoricus Rex suo Fælici. i. *Sumpsisti nomen ex meritis, custodi ut semper læteris veritate vocabuli.* Alexander quoq; Macedo in oppugnatione Tyri, conspicatus cognominem suum, segnius fortassis agentem k. *Animose* clamabat *ô commilito. Fac facinus, nomine quod geris dignum.* Audeat igitur quispiam negare, at ego cum Alexandro altero, eoq; Romano

decer-

e. *Livi. & Flor.* f. *Livius. dec.* g. *Cornel. à Lap. in Pentateu.* g. *Vopiscus.* h. *lib.* 10. c. 28. i. *Cassiod. lib.* 8. k. *Plutar in Alex.*

decerno. l. *Nomina insignia, esse onerosa,* quod m. *Nomen auspicium rei* sit, & n. *Fides nominum, salus proprietatum.* o. Hinc, *per Nomen* non raro *rei sumus,* cùm p. *Nominis Sacramentum* non custodimus. aut etiam q. *Recusamus nomen, tanquam judicem suspectum:* aut r. *Factis appellationem impugnamus, & calumnia afficimus.* Diadumænus quidem Imperio & Antoninorum nomine donatus, spem militum, nominis conservandi studio, sustinuit. s. *Elaborabo,* inquiens, *ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pij, me Marci, me Veri suscepisse nomen.* Pareo quapropter spei nostræ ad aures insusurranti: pareo, & quid narret, quid Poloniæ à Sigismundo Principe promittat, enarro. t. Faustè rem auspicatur, qui pulchro nomine præsagit eventum. Plane in Rem & Spem nostram sacrarum literarum interpres. g. *Deus & Hæbrei, suis nomina ab eventu imposuerunt: & tunc nomina, erant quasi omina.*

At Poloni nullis magis quam Principum suorum Nominibus, omina sua inclusêre. Et quia gens ad libertatem & gloriam nata, ad hæc vitæ decora maxime aspirat: ab his quoq; nomina petit. Quid enim Miecislai nomen indicat? præterquam laudis propagationem, bellicosâ gente dignam, gladio Principis quærendam. Quid Boleslai vocabulum monet? nisi non sinendum Principi, ut fama sua, aut publica; ignaviâ, quasi ægritudine quadam & dolore, conficiatur. Quid Vladislai etiam gloria auguratur? Scilicet in Principum dextris, sitam cum gloria fortunam, quam ipsi comprehendere virtute, comprehensamq; retinere possent. Reliqua tanquam superflua in catalogum non adduco, simul autem, Poloni animi genium laudis cupidissimum admirabundus adoro.

APODOSIS ORATORIA.

HOrum fælicitas. h. *Tantùm de te expectat, quantùm nomine polliceris,* Sigismunde Princeps Serenissime, felix meta spei, ac votorum nostrorum. Sigismundum te ego suspicio, Sigismundum veneror, Sigismundi nomen ingentibus argumentis spei gloriosum, coram orbe procla-

l. *In Alex.* m. *Cassiod. lib. 5.* n. *Tertullian.* o. *Salvia. lib. 3.*
p. *Tertulli.* q. *Idem.* r. *Basil, Selec. Orat. 9.* s. *Sandæ in Ped.*
Acad. Christia. t. *Celad.* h. *Nazar.*

proclamo. Viderit Carthago novennem Annibalem, ante penates patrios in Romanam perniciem jurantem, viderit & stupuerit; ego verò te ante aras publicæ spei, maiori dignitate augustioriq; animo, bellum contra improbitatem suscipientem intueor, & in hac triennali tua ætate, quæ prima, primis Inuictissimi parentis tui, trium maximorum hostium devictorum annis respondet: triumphos pietatis inclusos contemplor. Quid enim potius Sigismundus Poloniæ spondeat, quam fore, ut redivivam Serenissimorum eius nominis regum pietatem, iterum in se, suspiciat mundus. Et verò, prima hæc, princepsq; est, expectatio populorum, à qua, illi vota sua auspicantur, & cui veluti basi nixi, tantum sibi de Principe pollicentur, quantos hic progressus ostenderit. Nam si in hoc gradu cespitet, primum ad Deum, cuius nutu stant ruuntq; principatus, non perveniet: tum procul dubio, à communi Reipublicæ fælicitate aberrabit. Sit enim quisq;, si tamen esse potest; privatæ fortunæ faber: publicam nemo, nisi Deus extruet. Pietas igitur, & animi intemeratus candor, est Dei & Principis vinculum, inter cœlos terrasq;, susceptæ concordiæ tessera, humani supernique auxilij nexus, mortalium patrona, artium propugnaculum, urbium tutamen, imperiorum murus, orbis universi fulcrum. Hæc, bella gerit sine expensis, committit prælia sine damno, fundit acies sine vulnere, expugnat mænia sine lassitudine, vincit sine periculo, triumphat sine præsidijs, imperat sine metu. Hæc cœlites hominum socios facit, hæc auxilia ab astris ducit, hæc fulmina pro telis jacit, hæc, fidelis amica, comes, miles, Dux, bonorum gaudet censeri Principum. Ter vero nos fælices, qui terna damna pijssimorum Sigismundorum, in Sigismundo Principe resarciri videmus. Intelligant universi, quam non ex vano augurer! An enim eventu quopiam fortuito contigisse dicemus, aut potius divinæ scientiæ providentia factum asseremus, ut dies ille, qui Sigismundum Primum, immortali vita dignissimum, ex hac mortalitate evocavit, natalis Principis nostri existeret? Nihil hic egit casus, nihil valuit fortuna. Damna nostra à superis pensari cæpta sunt: & ne Sigismundum tantopere desideraremus, commodis cum Principis ætate cre-

ſcentibus proviſum. Gratias vobis pro hac Reipublicæ cura ô Superi! Favete ut cæpiſtis! Tum enim noſtri curam vobis non excidiſſe oſtendetis, ſi cum Principe nata ſolatia, integra diuturnaq; ſervaveritis. Mortuum Sigismundum illum vix credimus, cùm hunc natum intuemur: quaſi tumulus, in cunas à Principe mutatus, immortalem fore ſemperque naſcentem noſtrum Principem, ſponderet. Igitur lætitia illa, qua natalem tuum Sigismunde Princeps recolemus, applauſus quibus proſequemur, triumphi quibus exornabimus, tuam pariter, illiusq; gloriam referent: & noſtrum in te amorem, in eum autem pietatem teſtabuntur. In oleam natalem, fatalis abibit cupreſſus: vigor autem ille, Sigismundianæ virtutis, quem conſervandum fama ante urnam exceperat, frondes ſerti genialis animabit: quia hactenus quidem, Regis maximi gloriam, noſtræ memoriæ tutela fovit: ab hinc autem in te vivet. Duo nobis munera cœlites, ſimul tuo beneficio exhibent, ut & præterita ſæcula quodammodo convertantur, & futurorum ſolatia temporum, in te præſententur. Sigismundum Sigismunde refers, illum inquam Sigismundum, qui tam admirabili prudentia regni clavum adminiſtravit, & tanta gloria pietatis & virtutis per orbem ferebatur, ut Solimanus quoque Turcarum Imperator, eum a. *Patrem ſuum, ac Regum* appellaret. Spectatur quoq; pariter in ſpei tuæ auſpicijs, Sigismundus Secundus, verè re, ut nomine Auguſtus. Senſit enim in hoc filio, non degeneres à parente ſpiritus Polonia, cùm ſumma fælicitate, eaq; virtuti obſequente, non modo tueretur commiſſum, ſed proferret invictum imperium. Quo verò quam pio, quàm ingenti pietatem coleret animo, ſæpe quidem patuit; at tum clariſſime, quando judex ſacrarum de religione cauſarum in comitijs dictus, in vocem Principum memoriâ digniſſimam erupit. *Rex ego non paſtor.* Adiunges his, pietatis imitatione expreſſum, Sigismundum Tertium, avum tuum Sereniſſimum, tantoq; facilius ſanctitatem eius ad te derivabis, quantò, tempore propinquior eſt. Boni cœlites! quàm ego repente lapſu quodam ſermonis (Sigismundi enim Auguſti laudibus inſiſtere ſtatueram) in hunc regem, non tam noſtrum, quam veſtrum incidi. Huius vitæ ſpatia, pietate non temporibus definita.

ſunt

ſunt. Nondum primum ætatis emenſus fuerat ſtadium, & jam adeo ſuperos ſibi devinxerat, ut pro famulitio, eorum opera, uteretur. Norunt qui viderunt, novimus qui certa fide accepimus, noſcent deniq; & jam cognoſcant poſteri: cùm acies ad Sigismundum inter ea juvenem occidendum, à Principe expedita iret, cœleſte quoddam numen gladio vibrato itineris tranſitum occupaſſe, necemq;, ſiccarijs ſi pergerent minatum, monito hoc ſuperaddito. *Irent ad Principem ſuum, ac ut à necis molimine animum averteret, eum monerent. Sigismundi tutelam ſuperos gerere, nec unquam, ab eo potiſſimum tempore, illum deſerturos.* Certavit porro ille, toto deinceps vitæ ſpatio, grata liberalitatis æmulatione cum ſuperis, ut cui vitam deberet, ipſo vitæ genere palam faceret. Vos ego teſtor ſacratæ cælitum aræ, vos fana divorum, Maieſtate pariter, ac multitudine glorioſa, vos potiſſimum Vilnenſia eius in D. Caſimirum pietatis monumenta. Errent ſane cæteri, qui marmorum fidei perpetuitatem ſuam committunt. Nam neq;, ipſa æternùm ſtant, & cum longiſſimo ævo ſteterint, quærere adhuc licet, ambitionè, an virtus erexerit? Sigismundus tamen, non erravit. Animata enim, in Divorum effigies marmora, coactaq; ad obſequium ſacrum ſaxa, non laudes tantum authoris prædicant, ſed referunt etiam pietatem: ex qua, magis quàm ex ſuo corpore conſtant. Hæc qui cogitant, qui ſuſpiciunt, qui laudant, cum ad te Sigismunde Princeps mentem convertunt, an alium te cogitare, aliumq; dicere poſſunt? quam ter Sigismundum, id eſt, pijſſimum, religioſiſſimum, ſanctiſſimum. Habes verò & paterna maternaque ingentis pietatis exempla, tibi ad imitandum propoſita: eaq; tot ac tanta, ut auguſtum illud palatium, quod te naſcentem excepit, Templum regalis ſanctitatis, non palatium dicendum, meritò exiſtimem. Conſtitue in mente tua, quæ etſi nondum alias cogitationes præ tenera indole, capere poteſt. Deum tamen capit; ampliſſimum hoc imperij Lechici univerſum, in quo nulla eius pars, nullus locus, à piiſſimorum Regum, piiſſimis exemplis alienus occurret. Hinc quicunq; beatiſſimo regni pacifici ſpectaculo, longiori mora contemplantis animi interſunt, non pacis tantum imagine; ſed et pietatis mentem oblectant: atq; ad Vladislaum, Sereniſſimum parentem

 tuum

tuum conversi, illum intuentur, illum prædicant, illum non humanis, sed divinis quoque laudibus attollunt. Iaceat ignava improbitas triumphalibus calcata pedibus, jaceat scelus, jaceat impietas: surgat autem pietas, vigeat pietas, crescat pietas, triumphet pietas, & piissimus ac religiosissimus, cum sanctissima consorte sua, Rex noster, Parens tuus Vladislaus. Ecce verò per merita Serenissimæ Reginæ, ad Austriacæ quoq; pietatis mentionem perveni: tibi Princeps Serenissime cognatam, & spei nostræ auspicijs fæcundam. At nihil amplius dicam, posteaquam Austriacam nominavi. Omnia enim sanctitatis vocabula, hoc solo nomine continentur, & non Oratoris, sed Oratorum est, dicere quid sit esse Austriacum. Plus ab hac domo pietatis, quam sanguinis in posteros derivatur, atq; à pueritia prima, uberibus non tam nutricum, quam Christi aluntur. Ita natus Princeps, ita cresces, ita vives: ita ad eam, quâ Sigismundi nostri perfruuntur gloriam pervenies: ut cum Sigismundos, in te expressos, reddideris, *Sigismundus*, id est, *Musis dignus* habearis. Quanquam enim litteræ, in omnium obsequia officiosæ, aut sunt, aut esse videntur (nam esse, non nisi in laudibus meritorum debent) nihilominus, nemo encomijs eruditis, materiem digniorem præbet, quam ille, qui ad aras pietatis, sua ópera consecravit. A superis enim suam originem litteræ trahunt, & è cerebro Iovis cum Pallade genitæ, ut primordia, ita incrementa ad eosdem referunt. Laus vera censeri nequit, quæ argumenta sua, cœlo non probavit. Quòd si ad spem promissæ in te fælicitatis, calami assurrexerunt: quæ tandem ad maturiora encomia eriget se æmulatio? aut qua contentione gloriæ, laus tua prædicabitur. Intuere jam nunc, Academiam Vilnensem, ad tuæ sacræ manus oscula adruentem, intuere nobilissimorum ingeniorum industriam, tuis laudibus se erudientem, & venerationem semper tuæ dignitati impendendam, hodie devotam agnosce. Laborent enim alij ut laudes mereantur, alij ut meritas referant: te & meritum in tuis maioribus fatemur, & Vniversitatem laudum, cum Vniversitate litterarum, unâ tibi consecramus. Crede autem Princeps. Non minor gloria venit à calamis, quam à gladijs; & si nobis non credis, illi crede, qui victorijs orbe peragrato, victum se ab Achil-

le inge-

le ingemuit, quod Achilles encomiasten Homerum invenisset, ipse neminem mereretur. Procul verò æternùm à tua fortunâ hæ querelæ.

Orbis amor Princeps! terrarum Sidus amicum,
Vnica spes nostri deliciumq; soli.
Ferre tuas laudes quæ possit carmine Musa?
Quæ tamen in laudes nollet abire tuas!
Lis homines versat, potius venerentur amentne?
De te, Amor & Cultus, pulchra duella gerunt.
At meritis laudum, felicia fædera pangis,
Vt concors animus, quod veneratur, amet.
Quid dubitem? timidæ mentis discedite curæ,
Obsequiosa meæ currite fila manus.
Currite, non satis est tardo procedere gressu,
Immenso patuit, gloria pansa sinu,
Ecce etenim, ad voces vastus sua brachia mundus
Expedit, impatiens vincula ferre maris.
Impulsæ aufugiunt cognatis sedibus vndæ,
Ac submota suis æquora littoribus.
Scilicet auspiciis Princeps Auguste Secundis,
Laudi, magna tuæ Fama theatra parat.
Ibis per summi calcata cacumina cœli,
Ibis io, fausto per iuga summa pede.
Altior & cœlis, & terris amplior, omnes
Sigismundano mensus honore gradus.
Et neq; mortalis splendor comitatur euntem,
Sed comites superi sunt, superiq; Duces.
Dux præit, illustri vultu Regina polorum
Relligio; & Pietas concomitata Fidem.
Sacra cohors, Sociæ cælestes, turma fidelis,
Terrigenumq; decus, Cœlicolumq; decus.
Visa cano. Sacros cum Phæbus conderet igne,
Pelleret & totum nox inimica diem.

F Semi-

Semita candenti micuit per sidera luce,
Succensæq; simul dimicuere faces.
At super Arctoi stabat capita alta Bootis,
Aurea descriptis sculpta columna notis.
Hoc iter, hæc sobolem Vladislâi semita ducet,
Sigismunde vmbras non patiere nigras.
Perge memor proauum sacros reparare triumphos
Sunt potiora alto, fixa trophæa polo.
Credite, non sensus fallit, neq; perfida lusit
Auris, at in sano pectore, verba sedent.
Ter data vox cœlo, Regnis vox nota Polonis
Augusto Regum mortua ab ore venit.
Chare nepos atauum, magni laus magna parentis
Viue diu, & felix ardua calce preme.
Sidereas patriâ pietate merebere laudes,
Ter Sismunde solo, ter venerande polo.
Eueniet, votis succedant gaudia certis
Quæ venit axe fides, indubitata venit.

ARA SPEI FORTVNATÆ

INSCRIPTIO.

Indoles bona, vates optimus.

THESIS.

HActenus aut è longinquo, aut ex occulto, Spes nostras prospiciebamus. Ecce jam feliciori aspectu beamur, ecce coruscis emicant fulgoribus, & se spectandas in aperto præbent. Quemadmodum enim arborum fructus immaturi, etsi gustum non perficiunt; colore tamen ipso, & ductis quibusdam bonitatis suæ in cortice lineamentis, ad quem maturescant saporem ostendunt: aut quemadmodum auri, argentiq; fæcunda tellus, pretiosum quidem illum partum, splendore non prodit; nihilominus, signa &

gna & indicia latentis opulentiæ in venis disponit: ita nobiles & ingenui animi, quamquam inclusam intra se virtutem, in publicum non promunt: in factis tamen, verbis, atq; ipso vultu, operum præsagia maturiorum præseferunt. Mecum decernit laudatissimus Orator. a. *Ita intimos mentis affectus, proditor vultus enunciat, ut in speculo frontium, imago extet animorum.* Neruosè & doctè Magister eloquentiæ. b. *Generosæ arboris planta, statim cum fructu est.* Hic tamen fructus, spes solas pascit. c. *Hinc Brachmanes edito infante, ex membris cuius esset indolis diiudicabant.* At Sapiens orbis, d. *Indolem, igniculos naturales, & quædam veluti seminaria virtutum* dixit. Isocrates verò, e. *Pueros fælicis indolis, Deorum filios nuncupavit.* Vtor in primis exemplo Alexandri Macedonum Regis. Hic Puer admodum, cum Persarum Legati ad parentem venissent, quantum animum in tenero corpore servaret, magnificè prodidit: cùm inter quæstiones allatas, nihil ab ijs de aureo arbusto, nihil de hortis pensilibus, nihil de Regis cultu interrogavit: at quasi bellum protinus illaturus, quantæ Persarum copiæ, quæ viæ ad superiores regni provincias contendenti, à mari compendiosissimæ, qui modus illis pugnandi, quem locum Rex in acie teneret, tanta diligentia requisivit; ut admirati Persæ indolem, dixerint, f. *Puer hic est Rex magnus, noster autem opulentus.* g. Themistocles à præceptore suo, pueri indolem diligentius penetrante, sæpius admonebatur. *Tu mi puer, nihil mediocre eris, sed omnino vel magnum patriæ lumen, vel magna pestis.* Marius septies Romanus Consul, h. cum puer adhuc, gravissimis viris inter cænam de republica differentibus adesset, atque inter multa, Scipio interrogaretur. Quem egregium Imperatorem respublica habitura esset! respondit. *Vel hunc*, digito Marium ostentans, & ingenium eius summis rebus aptum pernoscens. Quid ille liber spiritus Cassij, quam aperte in pueritia se prodidit?

Gloriabatur Faustus puer, L. Syllæ filius, de parentis sui Monarchia coram coætaneis, inter quos Cassius aderat. Non tulit igitur adversum Romanæ libertati, servitutis nomen Cassius, gloriantemque colapho petijt, ac coram Pompeio accu-

 satus.

a. *Latinus Pacatus* b. *Quintilian* c. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.* d. *Plato.* e. *Isocrates.* f. *Plutar. in eius vita.* g. *Plutar.* h. *Eutropius lib. 5.*

ſatus. *Dic* inquit *item Fauſte parentem Monarcham, & ego rurſus libertatis violatæ pœnas à te repetam*: ut jam tum appareret, non defuturũ illi animum ad Cæſarem dictatorem interficiendum. Veriſſimè Lælius. i. *Multis ſignis natura declarat, quid velit, ac quærat, ac deſideret.* Carolus V. Galliarum Rex, k. Filio ſuo Carolo VI. explorandæ indolis cauſa, coronam auream galeamque porrexit, quàm cum ille relicto diademate arripuiſſet, ſpecimen militaris indolis prodidit.

Longè verò pulcherrimum, domeſticum Boleslai III. Vladislai Secundi Regis Poloniæ filij, extat exemplum. Nonum ætatis annum apud parentem agebat, cum Secechus Palatinus Cracovienſis, contra Moravos mitteretur. Non tulit ardor pueri militaris, domeſticam veluti ignaviam, genuaq; patris ac collum amplexus, multis lachrymis exoravit, ut in caſtra abiret. Vbi verò ad exercitum ventum eſt, puer verſari in ordine, omnibus arridere, æſtum imbresq; pati, cubare humi, obire vigilias, cæteraque onera caſtrenſia præter ætatem facere ferreq;: ut indoles illa ſtudiumq; pueri, futuram eius magnitudinem, non obſcure portenderet.

Verùm niſi indolem, recta firmet inſtitutio, facile homo à ſe ipſo deficit, & naturam moribus mutat.

Hic igitur Rhodus, hic ſaltus: ut bene nati bene vivant; bene illos educare. Hinc Poeta. m. *Vt quisque filium ſuum vult eſſe, ita eſt.* Quanquam enim. n. *Anima bene nati præceptis obvians, magis à ſeipſa quam à Magiſtris adiuvatur.* Et o. *Quemadmodum Dii immortales nullam didicere virtutem cum omni editi: atq; pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus, egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo Magiſterio*: nihilominus magna hic opus diligentia. Nam. p. *à magnis ingeniis, ut magnæ virtutes, ita etiam magna vitia proficiscuntur.* Quod ſi privatis etiam, hoc ſtudium non negligendũ, & tanquam publicum tractandum, quod q. *Civitas talis futura ſit, qualis adoleſcentum educatio*, quãta vigilantia ac prudentia requiretur, in inſtituendo Principe? qui nunquam ſibi ſoli bonus, aut malus eſt: ſed qualis ille fuerit, taliter agi cum republica oportet. Principum Magiſtri, Rerum publicarum artifices ſunt, quæ ſuis principibus, vel ſuaptè, vel invitè conformantur.

APO-

i. *Cicero.* k. *Theatrum vitæ.* l. *Crom. lib. 5.* m. *Terentius*
n. *Philo.* o. *Senec. ep. 9.* p. *Plutar.* q. *Natalis.*

APODOSIS ORATORIA.

VErùm ego, nec inter aulas uersor, nec Principem erudio: at illa tantummodo loquor, quæ in Principe Sigismundo certa, certam quoq; magnitudinis eius spem nobis faciunt. Nam quæ in Te, quàm augusta emicat indoles, exultantium sua sponte, Dux fortunatissima animorum? Difficile quidem uidetur, ex tam tenera & triennali ætate præsagia legere: uerùm excellens hoc tuum, & Principe dignum ingenium, sic quoq; se prodit, & jam publico gaudet. Otho Imperator, cui deinde magni nomen inditū, nullum maius, ætatis secuturæ specimen in pueritia edidisse legitur, quam insignem hilaritatem, à qua inter ipsa prope crepundia, *Orbis amor* dici meruit. Rapis nos in simules affectus, & præconia, Sigismunde Princeps, & suavissimis tui animi, vultus, morum delicijs; non ab invito animo, confessionem hanc tibi honorificam, nobis gratam, omnibus temporibus ac seculis fortunatam extorques, ut te, *Amorem orbis*, cum Vniversi, tum Poloni consalutem. Amant omnes Magnam Magni Vladislai prolem, amant crescens regni decus, amant assurgentem Septentrionis gloriam: et cum id amant, tum jucundissimis hilaritatis tuæ invitamentis, ad maiorem tui amorem pelliciuntur, imò ad perennem provocantur. Allicis affectus intuitu, detines gratia, imples & perficis suavitate: ut in hoc tuo flore, maturum illud Principum optimorum præscriptum impleas. *A Principis vultu, non debere ullum tristem abire.* Hoc dicunt, quicunq; te aspexerunt; hoc sentiunt, quicunq; te intueri desiderant. Nam quid illud augustum & frequens, Procerum tui invisendi desiderium? quid frequentes in tuis sanctissimis claustris conventus? quid tam crebræ Magnatum salutationes volunt? nisi spes suas è propinquo oculis libare, & à tuæ præsentiæ dulcedine, nobilem animorum petere oblectationem. Quis igitur est, qui ad augustum Serenissimi Regis conspectum admissus, tuum simul non petat: ut quod in Invictissimo Rege venerabundus admiratur, hoc in te amet. Quis est, qui supplices preces ante eius clementiam deponat, quin pro summo gratiæ regiæ cumulo, tui aspectum exoret? quòd nullus, tantùm gaudeat

deat, ſibi aliquid conceſſum, quantùm, te Reipublicæ datum gaudet. Quis eſt, qui Sereniſſimæ Maieſtatis triumphales manus, placidiſſimam Polonæ felicitatis ſedem, oſculo veneretur? quin ſimul idem obſequium tibi humiliter deferat: ut quemadmodum in illis præſentium ſeculorum, ita in tuis, naſcentium proſperitatem, ſuaviſſimè debaſiet. At tu ita humaniter ſuſcipis adventantes, ita graviter ſalutas, ut non in palatiorum, ſed in orbis medio conſtituti, Principem affabilitate gratiſſimum, Maieſtate venerandum, intueri ſe exiſtiment. Delectat igitur te ſuſpicere, delectat à facie tua pendere, ac nõ ad Principem tantúm, ſed ad delicias itur. Oculorum tuorũ gemmæ, radijs gloriæ ſcintillantes, frontis amæniſſima planities, nitoris ſpecie conſpicua, genarum purpureum decus, auroræ roſarumq; æmulum, non magis ſpectabilem, quàm amabilem te reddunt: digniſſimumq; non brachiorum, ſed animorum complexu. Nemo igitur in tuo vultu oculos figit, quin animo in invictiſſimi Regis hæreat conſideratione, atq; in publica encomia erumpat. O Vladislae non terris tantùm, ſed etiam cœlis cariſſime: quo tandem animo tibi hunc ſuperum gratulemur favorem! quem cum mereris, nos quoq; beatos facis. Neq; enim Regum conditio ſingularis eſt, verum ſive adverſis, ſive proſperis utatur fatis, ad univerſos pertingit. Domuiſti barbaros, non huic tantùm regno, ſed univerſæ Chriſtianitati formidandos, alios armis, alios terrore, hos juxta & illos admirabili virtute: vindicaſti Rempublicam infeſtantium periculorum metu: donaſti Patriæ, diu vanis imploratam votis pacem: impleviſti orbis ſpacia imenſis gloriæ monumentis: at unum tibi, unum nobis optandum erat, ut gloriam tuam non memoria tantúm conſtanti, verùm etiam viva Sobolis auguſtæ expreſſione, perennares. Reſpexerunt, demum Superi ad omnium deſideria, reſpexerunt ad publica vota, reſpexerunt ad tua merita: & Sigismundum dedêre Principem, qui te, nobis ac poſteris referret. Altius te ceteris Principibus, primúm quidem regalis thronus, tum non Regum, ſed virtutis comes fortuna extulit: multum tamen, ad perfectam ſucceſſuum feliciſſimorum proſperitatem defuiſſet: ſi poſteaquam nobis vixiſti, poſteris non viveres. Nam lex lata, æternumq; duratura: ut

vos,

vos, quos ingentia virtutis facta, mortales esse non sinunt, ad immortalitatem è mundo transmigretis: illam tamen, quæ humanis oculis non cernitur. Et quanquam memoria superstes, vitæ munus explet: est tamen quoddam vivendi genus beatius, & quasi animata gloria, in prole sua superesse. An verò aliter cogitare audebimus de Sigismundo III. beata illa perennis vitæ spatia jam emenso, nisi quod ille ab alto in terras prospectans, non omnino à nobis abesse videtur; quibus tu, Maiestate ac gloria illius æmula, interes. Difficile est equidem ab humanis non tantum rebus, sed verbis mortalitatem excludere. Itaq; invitus licet, pace tua Respublica, pace vestra ô Poloni dixerim, tu quoq; Vladislae Rex Invictissime, cum humanum hunc terrarum incolatum (ô utinam sero! ô! si licet optare, tum cum natura finem acceperit) reliqueris, Serenissimam prolem tuam è cœlis prospectans, cœlesti pariter & humana immortalitate perfrueris: illi juxta atq; huic præsens, illi quidem in te, huic autem in tui parte, id est Filio. Non jam habent in te locum illæ querelæ, ad quas, Cambyses Regis Persarum Cyri filius, fato occulto pervenit; ut æmulatus, omnium virtutum imitatione, parentem, cum an Patri Cyro par videretur è suis quæreret? ingratum acciperet responsum. *Non videri Cambysem Patri æquandum, quod non esset illi filius talis, qualem parens reliquisset.* Tu tamen Rex Serenissime non tam tibi, quam nobis gaudes, quorum auxilio, gloriæ, munimentò datus, etiam post fata Rempublicam curare non desines. Nam, erat illud tempus, quo Regibus orbata Polonia, peregrinam debuit invocare virtutem, ut congruè libertati, nec publice incolumitati omnino aliquando incommodè; nec tamen semper commode. Cum enim Reges quæreret, bella etiam invenit: donec parens tuus Serenissimus, reddidit nobis per te, desideratum Iagiellonum sanguinem, & cum cognata virtutis magnificentia, optatam tranquillitatem. Liberi quidem sunt, erunt, ut esse debent Poloni; atq; Principes non accipiunt, sed eligunt, nulli utpote nisi virtuti parere assueti: nihilominus, cum domi qui imperet reperitur, peregrinari cum suffragijs non assueverunt. Æqvum est, magnificum est, gloriosum est, imperaturum omnibus, ex omnibus eligi; at quis congruum, ex Polonis unquam judicavit,

 fortu-

fortunam per orbem quærere, quæ intra ædes teneretur. Cui præterea obſcurus eſt, ingens totius Poloniæ erga Vladislaum Regem animus,& conſentiens populorum omnium concordia, aut Vladislaum, aut Vladislao ſimillimum, ſemper habere optantium. Quis verò Parenti ſimilior, quàm filius? ei præſertim Parenti, qui vitæ munere parens eſt, diſciplina magiſtrum, exemplo ducem ſe exhibet. Recedat igitur, recedat procul animo cogitatio, quam commoditas materiæ intrudit, ut ego aliquid de Principis noſtri inſtitutione agam. Dixi ante, quæ alijs Principibus conveniunt: at de Principe noſtro nihil dicendum reſtat, quia quod alij præceptis docentur, ille exemplo diſcit. Neque enim Princeps Sereniſſime, alia Tibi norma aut regula, ad publicam fælicitatem vivendi propoſita eſſe debet, quàm Regum Optimorum, Auguſtiſſimum exemplar, Rex & Parens Vladislaus. Hunc Tu inſpice, hunc imitare, hunc exprime: ſic Tibi, ſic Nobis, ſic orbis expectationi par evaſurus. Ad Sceptra te a natura editum, regia tua ſors monet: vide igitur ut illa Vladislaus Rex tractet. Ad diademata Te natum intelligis: vide quâ fortitudine, quibus meritis illa Vladislaus Rex ſuſceperit. Adorat Te Suecia, Gottia, Vandalia hæreditarium Principem: non recuſat per virtutis ſuffragia, Tuo ſubijci Polonia Imperio: alterum perduellibus eripies, alterum autem mereberis,cùm Vladislao evaſeris ſimillimmus. Nam quod Regna illa, Tibi naturæ jure mancipata, turpem tam diu ſervitutem ferunt, primùm quidem fato id quodam contingit: tum verò incredibili quadam Vladislai Regis erga nos pietate, qui patitur ſibi tam amplum ac regale patrimonium ſubtrahi, ne quietem noſtram armis interpellet. Erit tamen, erit illud tempus, quo Regna olim nobiliſſima, malorum ſuorum pertæſa, ad Principem ſuum reſpicient, eligentq; obtemperare dominis, quàm mancipari ſervis. Quis ſcit, an hoc ſuperis ſteterit edictum, catulos illos regnatricis leænæ ſubreptitios, alienisq; incubantes ſpecubus, aut in victimam,ante Sigismundum Principem caſuros, aut Dominum, ſupplici deditione agnituros. Tu verò interea Princeps Sereniſſime, perge felix ex voto omnium publico, ad exoptatam ſpei noſtræ maturitatem: promove, deſideriorum noſtrorum maioribus creſcentium in dies virtutum

paſſi-

passibus segnitiem, vige, cresce, vota quoq; nostra vince. Optare plus quàm optamus, non possumus, at Tu Principum gradu, vulgi parva desideria transcende, donec ad illos Iagellones, illos Austriacos accedas. Obversatur enim menti meæ, non hæc tantùm tua, sed illa quoq; ætas, quæ inter primum humanæ vitæ usum; & inter honoris emeritas dignitates, media intervenit: animo grandis, robore vivida, ævi flore conspicua. Videor igitur Te videre, non tam turmis hominum, quàm virtutū, pietatis, integritatis, sanctitatis, temperantiæ, moderationis stipatum: inter nobilissimæ juventutis agmen perillustre, cæteris tam altè eminentem, quantum reliquos omnes Principis superas dignitate. Videor intueri, oculos hominum in Te conversos, admirationem in Te defixam, studia Tibi devota: Te verò speciosissimis regalis animi insignibus conspicuum, maius aliquod cæteris, opus virtutis molientem. Quis tum satiare aspectum vultu tuo, quis ora laudibus poterit? Ibis gloriosus quo Te vestigia Maiorum tuorum, per amplissima nobilissimorum facinorum spatia deducent, nos verò jam non spes nostras, quas nunc a longè suspicimus, verùm publica commoda solatiaq;, Te per laudes secuti colligemus. O fælices illos soles, qui nobis lucem operum tuorum aperient! ô beata tempora, quæ tuo splendore, quam sua dignitate clarius nitescent! ô ver ætatis tuæ gratissimum! ô vitæ spatia, justitiæ cultu composita, temperantiâ sacra, prudentiâ veneranda, fortitudine admirabilia, omni deniq; genere virtutum opulentissima.

AT quæ tam subito nova.
Terrarum, facies? iuuenescunt singula regni
Lechiaci decora: an lepidis mens sobria vatem
Delectat ostentis? senile
Cum plumis exuit robur
Ille ipse nido & prole clarus inclytâ
Signifer Regni generosus ales.
Et jam Trinacrijs nouum caminis
Fulmen recussum fert recenti
Viuidus rostro, geminumq; Moschi
Diuidit telo caput irretorto
Alitis, audax vincere, vinci

Assuetum, hîc vitrei littora Vistulæ
Pæana clangunt. quæq; refundere
Aurum obsoletæ mercis, & indigam
Auarioris copiæ sitim,
Lechicis olim didicêre Regnis:
Jam graues ferro reuehunt carinas
Jam gladios & acuta belli
Nouo ministrant militi.
Quin ipsa sponte nasci arma imperat,
Natura Lechis prouida:
Subruit alto turbine putres
Quercus, & ornos tollit inutiles,
Plantasq; in arma fabricat nouas.
Gnosiis arbos tiliæ sagittis
Frondet, in flexos sinuatur arcus
Corneis ilex animosa nodis:
Fraxinus in teretes truncos, ut cespite ab imo
Quot trunci teretes sunt, tot consurgat in hastas.
Arcusq; parui, hastæq; paruæ
Cum plantis solidè crescunt, & ab arbore adultâ
Accipiunt robur.
Ipse grauis senio crudum thoraca lacertis
Exuit antiquis Mauors, & pondus honestum
Jngentis gladij paruum commutat in ensem
Atq; iterum iuuenis, primos puerilis in ausus
Loricæ modico cingit sua pectora ferro.
Nec gracilem versare pudet iuuenilibus hastam
Palmis, nec tenui paruas numerare pharetrâ
Rite Neoptolemi, ad belli rudimenta sagittas.
Eheu Poloni prodigiosior
Succedit ætas? non malè Sarmatas
Bellona ridet, non malè Sarmatis
Fata Mauortem renouant adultum,
Cum puero sua Regna Rege
Marsq; ipse crescit cum puero Puer.

Iam

Jam diu pacis super otiosæ
Dormiit stratum, pigra feriarum
Jam diu nullis speciosus armis,
Festa sub tecto salit Africanis
Splendido tignis, pudet heu! supinum
Induit plumis caput, & Lybissæ
Alitis cristas, galeæq; toruam
Gargonem, cistis, vitio senectæ
Obserat. Inde alio labuntur tempora gyro.
Stringe aciem iuuenis Mauors, post longa senectæ
Tædia, & ad Pueri proprior penetralia Regis
Fer teretes clypeos, fer parua hastilia ludo,
Et globulos, volucresq; pilas, & ludicra ferri
Otia, & exigui plumbum vocale Colubri.
Infantiæ Regalis horum
Amor, paternam natus adoream
Aequare, primis dum licet osculis
Ferrum osculatur: brachia pensilem
Rapturus ensem tendit, & horrida
Aspice quam stricti puerum delectat imago
Ferri, vulnificusq; chalybs & ahenea rauco
Machina mugitu reboans.
Quisquamnè sensus Balthidos æquori
Dudum rebelli? num resonas cauâ
Concha triremes cedere pertinax
Innare gestiet Polonos
Visurum gladios, non sine liuido
Pallore, vindici mucrone iustos,
Et juueni sua signa Marti
Opponet? Eheu perduellem
Qui ferro repetet vindice Gottiam,
Jam puer paruo lateri fidelem
Subligat ensem,
Jam fuluum capuli versat ebur, ferox,
Innoxiosq; exercet ictus,

Mox refugo metuendus hosti.
Ille & gramineo fingere cespite
Vallum peritus, castraq; mutuis
Arcere fossis, & locare
Hâc equitum statione turmas,
Illâ pedestres, non pueriliter
Secum consilio certat, & hosticas
Hâc arte Regius puer cateruas
Cædere fusas,
A tenero meditatur vngui.
An & Pelasgus non metuit latro?
Olim pauper ad algidas
Caucasi rupes, modo gloriosæ
Virtute an astu victor Achaiæ?
Piget fateri. Tollite barbari
Lunæ occidentis signa, cruentior
Sors aleam mutare cogit,
Atq; iterum meliore Marte
Retro palantes Asiæ Tyrannos,
Regnorum spoliis graues
Jam diu, ad limen patrium reduci,
Arcesq; Bizantî superbas,
Pro Caspijs mutare vicis,
Iugoq; rursus colla reciproco
Impie multis dominata Regnis
Subijci Fatum est. Oriens videbit.
An seruitutis anxius nimis suæ,
Posse desperat fieri, suoq;,
Eripi seruus dubitat Tyranno
Posse? me vatem generosus audi
Eoe surges. Nam mihi Sarmata
REX ORIENS, ita fatus. Eheu
Fatidicis liquido volucrem super æthere pennis,
Mens iterum mea me reliquit.